



~~CH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-27

SIGNAT. 1515 CCCXIII.

St. Michael Aled

DE PROVIDENTIA DEI DISPV TATIO,

Cujus subjectas Theses

DEO CLEMENTER
ANNVENTE,

35

PRÆS IDE ÆGIDIO
HVNNIO, S. THEOLOGIÆ

*Doctore & Professore, die 4. Julij, horis
matutinis, in Auditorio Theolo-
gorum, defendet*

M. PAULLUS WOLFIUS, EC-
CLESIÆ VVITEBERGENSIS DIACO-
nus, designatus Ecclesiæ Belticensis Pa-
stor & Superintendens.



VVITTEBERGAE,
Typis M. Georgij Mulleri.
clo. lo. xciv.

DE PROVIDENTIA DEI

Disputatio.

THEISIS I.

SSE Dei providentiam, in corde suo negat impius, Psal. 14. dicens: non videt Dominus, nec intelligit Deus Iacob, Psal. 94. Et rursum Psal. 10: Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem.

2. Clariora interim indicia sunt toti rerum naturae impressa, quae providentiam Dei arguunt, quam ut ab Ethniciis quoq; sanioribus ea negari potuerint.

3. Qui ut ex operibus mundi perspexerunt aeternam potentiam & divinitatem Creatoris Rom. 1. Sic ex opere conservationis rerum collegerunt, esse aliquam Dei circa res humanas curam. Quod ex libris Philosophorum gentilium apud Græcos, quin & Ciceronis aliorumq; monumentis apparet.

4. Interim hoc illorum iudicium, quod solo lumine naturae nititur, infirmum admodum est: & adversitatum tempore non consistit.

5. Quapropter ut nos Christiani ex sacris literis potius quam ex libro naturae tenemus, conditum esse cœlum & terram: juxta illud Hebr. 1r. fide intelligimus, creata esse secula: sic quoque cognoscimus per fidem ex verbo, Deum sui operis curam agere, idq; potenter sustentare, omniaq; in mundo à se condito sapienter administrare & gubernare.

6. Est autem providentia Dei, non nuda rerum Visio aut notitia, sed concurrens simul actio Dei, qua naturas rerum sustentat, easq; secundū ordinem in creatione institutū, cui tamen alligatus non est, conservat & gubernat: hominibus & jumentis de rebus ad vitæ hujus sustentationem necessarijs benignè perspicit; præcipue verò salutem aeternā Ecclesiæ suæ certis medijs procurat & perficit: actiones hominum bonas juvat & promovet, malas prohibet, punxit, terminum eis præfigit, & ad fines bonos reducit.

7. Ut autem definitio hæc, quæ ὡσὲ ἐπιτὸμη doctrinam universam de providentia Dei complectitur, omni ex parte illustratur: excutiendum initio est, quid à providentia differat Dei præscientia.

8. Etenim cum dicatur in definitione, providentiam significare non nudam noticiam aut visionem rerum: palam est, inter præscientiam Dei, ejusq; providentiam discrimen esse constituendum.

9. Et sanè haud inficiamur, præscientiam suo modo ad constituantem definitionem divinæ providentiae necessariò requiri, ne tribuamus Deo quandam à cœco arbitrio profectam curam rerum, quas nec videat nec intelligat.

10. Quo pacto gentiles de suis Dijs fabulati sunt, qui falli ab alijs, & per rerum ignorantiam eludi potuerint.

11. Non sic Deus noster. Qui virtute omnisciencie suæ novit, intuetur & aspicit universa. Quemadmodum Iob. 26. & 28, Proverb. 5. & 15. Psal. 139. Esa. 37. Dan. 2. Sap. 1. Eccles. 17. 24. & 40. alijsq; in locis quam plurimis sacræ literæ testantur.

12. Interim differt à providentia hæc rerum præcognitio, quod providentia quidem in suis operibus ad liberrimam Dei voluntatem refertur: liberè enim condidit res, liberè etiam illas conservat. Præscientia vero ad esse entia potius Dei θεωμα, quam ad libertatem voluntatis divinæ pertinet.

13. Non potest enim non scire ac videre omnia, nisi omnisciencie majestatem, atque sic laudem Deitatis illi derogare placeat.

14. Adhæc præscientia non causam rerum denotat, sed notitiam, cum quidem providentia significet actionem Dei, qua hoc vel illud efficaciter operatur.

15. Porrò præscientia & præscire de Deo κατ' ἀνθρωποπόθεαν prædicatur, cum propriè loquendo non præscire, sed scire omnia dicatur; siquidem ei nihil vel præteritum est vel futurum, sed universa citra temporum intervalla, quæ in invariabili illa æternitate non dominantur, præsentissima.

16. Circa hanc autem de præscientia tractationem sese offert quæstio de necessitate & contingentia, an Dei prævisio rebus prævisis ac præscitis necessitatem imponat, & contingentiam tollat? id est, an propter præscientiam Dei omnia fiant necessario?

17. Sanè

17. Sanè Calviniani, qui præscientiam Dei singunt esse refutum omnium præscitarum (& per consequens, omnium etiam præscitorum scelerum & flagitorum) causam, hoc ipso contingentiam rerum libertatemq; voluntatis humanæ penitissimè tollunt.

18. Nos, quia scimus, causam omnem scelerum à Deo in scriptura removeri, Psal. 5. & 1. Iohann. 2. pronunciamus indubitanter, prævisionem Dei rebus præscitis, maximè his, quæ naturæ voluntatiq; Dei juxta patet factum verbum adversantur, necessitatē nullo modo imponere.

19. Ut enim exemplo rem declaremus, non quia Deus præscit, Davidem commissum esse adulterium: ideo ille adulterium committit: sed econtra potius, quia David libera voluntate, instigante Satana, adulterium commissurus erat, ideo Deus (quem latere nihil potest, alias non esset omniscius, atq; sic ne Deus quidem) ita vider.

20. Quòd si David abstinuisset ab uxore Vriæ (sicut tamen poterat abstinere, quam Ioseph juvenis ac cœlebs ab herili conjugé) hoc ipsum vidisset Deus, Davidem scilicet adulterium commissum non esse.

21. Quemadmodum Astronomus, suæ artis beneficio prævidet futuram Eclipsin, nec fallitur in sua prævisione. Hæc ipsa tamen illius prævisio non efficit, ut Eclipse oriatur. Non enim quia Astronomus prævidet venturam esse, ideo ventura est: sed potius quia ex alijs causis ventura erat, ideo illam sic venturam Astronomus artis suæ canones secutus prævidet ac prædict.

22. Tametsi & hoc addendum est, quòd Astronomo nuda tribuitur prævisio: Deo autem non prævisio nuda vel ociosa, sed cum quadam actione conjuncta, ea verò differente, pro rerum, quæ ab ipso videntur ac noscuntur, diversitate.

23. Siquidem bonas hominum actiones ita præscit Deus, ut easdem juvet: malas verò sic præscit vel scit potius, ut illas divina sua gubernatione non juvet, non promoveat, sed à libera hominum voluntate profectas puniat, & ad fines bonos, suæq; naturæ congruentes sapientissimè reducat.

24. Qua de re infrà copiosius, ubi tractabitur, quomodo providentia Dei circa hominum diversas actiones diversimodè occupata sit.

25. Secunda pars definitionis nostræ est, quod Deus naturas rerum sustentet, & ordinem à se conditum pro libera sua voluntate conservet & gubernet.

26. Sunt autem hæc opera Dei, puta creatio & conservatio rerum, non absolutæ necessitatis, sed liberrimæ voluntatis, sicut scriptum est: Omnia, quæcunq; VOLVIT, fecit in cœlo & in terra.

27. Interim quæ libere fecit, ea facienda quoque liberè decrevit, & post factum decretum necessaria sanè sunt, necessitate autem non absoluta, sed ex hypothesi. Quemadmodum & missio Filij in mundum necessaria est, ratione decreti semel facti, & nihilominus decretum ipsum, ut & executio decreti, ad Dei voluntatem refertur. Iohan. 6. Ephes. 1. & alibi.

28. Quæcunq; enim Deus operatur ad extra, sunt liberæ voluntatis: cum actiones internæ, veluti gignere, gigni & procedere, non ad libertatem voluntatis, sed ad naturæ divinæ absolutissimam necessitatem referantur, necessitatis voce semper excludente coactionem, quæ in Deum nullo modo cedit.

29. Quemadmodum & justus est Deus, non coacte, sed neque ita liberè, ut possit etiam esse non justus, sed absolute necessitate justus est, adeò ut Deus non esset, si justus non esset; sicut Deus non esset, nisi esset pater, Filius & Spiritus Sanctus.

30. Cæterum creationis opus non esse fortuitum, nec mundum ex temerario atomorum concursu conflatum, aut casu extitisse, sed Dei providentia conditum esse, universa scriptura clamat.

31. Conservatio quoque est divinæ providentiae ipsius opus. Quanquam enim creato sex diebus mundo, quievisse scribitur Dominus Genes. 2. quatenus non novas deinceps creavit species: tamen si specierum conditarum in individuis conservationem & propagationem, nec non totius cœli terræque, & omnium, quæ in ijs sunt, gubernationem spectes, recte Salvator ait: Pater meus operatur usq; modò, & ego operor.

32. Et Actorum capite decimo septimo dicitur: In ipso sumus, vivimus & movemur. Et Coloss. 1. Omnia in illo consistunt. Hebr. 1. Qui (Filius DEI) portat omnia verbo potentiarum suarum.

Hæc

33. Hæc ipsa porrò sustentatio naturarum conditarum, non minus atque creatio, liberrimæ voluntatis Dei actio est, & proficiscitur quidem ab omnipotencia Dei, quæ verò in rebus ad extra non omnia, quæ operari posset, operatur, sed quæ vult.

34. Ideoq; in novissimo die definit hæc creati mundi sustentatio, quando Deo virtutē suam subtrahente, transibunt, & in nihilū evanescer cœlum & terra, & locus non invenietur eis amplius Apocal. 20.

35. Quare cum ad hunc ordinem alligatus non sit, sed ordo conditus ipsius potius voluntati ex toto subjaceat: potest etiā, quoties vult, miraculosè intervertere, suspendere, promovere, impeditire: quod miracula stantis Solis & Lunæ, retracti è medio cursu Solis, aliaq; innumera testantur, quæ in sacris Biblij descripta leguntur.

36. Est verò & hæc divinæ providentiæ species, quod procurat ea, quæ ad vitam hanc temporalem sunt hominibus necessaria.

37. Primum exordium vitæ nostræ luculenter arguit, Deo homines esse curæ, utpote cuius manus, Iobo teste, hominem effingit, & ex rudi semine universa illius membra mirabiliter format, spiritum viventem largitur, & inter angustias partus potenter nos homines conservat, & ex utero matris extrahit: teste scriptura Psal. 22. 71. & 139.

38. Porrò in hanc lucem editos sic bonitate sua fovet ac protegit, ut citra voluntatem ejus ne capillus quidem cadat de capite illorum. Matth. 10.

39. Quamobrem si qua videntur evenire hominibus casu vel fortuna, ea coram Deo, qui casus & eventus hominum simul omnes divina sua providentia regit, temperat & moderatur, fortuita non sunt; sed fiunt, Deo sic permittente, disponente & ad bonos fines determinante.

40. In hoc quoque se ostendit Providentia Domini, quod hominibus de vieti & amicti alijsq; ad temporalis hujuscem Vitæ usum pertinentibus liberaliter prospicit.

41. Hoc ut eò certius sibi persuadeant homines, fore, ut Deus sua ope illos non destituat: proponit scriptura avium & animalium exemplum, quæ Deus larga manu pascere pro benignitate sua consueverit.

42. Ipse

42. Ipse namq; dat escam omni carni, pullis corvorum invocantibus eum, servat homines & jumenta, finit gramen crescere pro jumento, emittit fontes in convallibus, ut inter medium montium pertransiant aquæ: potabunt omnes bestiæ agri. *Psal. 104.*

43. Quod autem Apostolus Paulus, allegans illud Mosis: (*1. Corinth. 9.*) Bovi trituranti non obligabis os, addit: num boves curæ sunt Deo? an non propter nos hæc potius scripta sunt? non simpliciter hoc, sed comparatè accipiendum est, facta nimis collatione boum ad homines, duo hæc indicans: Primò, homines magis à Deo curari quam boves. Deinde, hæc NON SCRIPTA esse propter jumenta, sed propter nos homines, qui scripta Mosis legere possumus & intelligere, quod bobus non competit.

44. Idcirco Salvator à solitudine vixus & amictus suos dehortaturus, jubet intueri aves cœli, (*Matth. 6.*) jubet considerare passeris, (*Matth. 10.*) quorum duo minuto esse veneunt: atq; hinc certam animo fiduciam concipere, quod multò magis ipsos pasturos & protecturus sit, dummodò ei fidant.

45. Inter res ad hanc vitam humanam, adeoq; ad humani generis propagationem necessarias, numeratur etiam conjugium, in quo regendo providentia illa Domini mirabiliter eluet.

46. Quanquam enim domum & bona itidem ex Dei manu accipimus: prudens tamen uxor multò magis singulari Dei dispositione obtingit. *Proverb. 19.* *Syr. 26.* Quod testatur memorabile exemplum nuptiarum Isaaci & Rebeccæ *Genes. 24.*

47. Vnde natum illud commune verbum: Conjugia sunt fatalia. Quod dextrè acceptum, piam de admiranda Dei providentia sententiam complectitur.

48. Non quod fatali quodam & ineluctabili decreto quisq; suæ consocietur coniugi (hoc enim esset contingentiam & agendi libertatem in rebus humanis tollere) nec quod Deus absq; causarum secundarum aut inferiorum adminiculis, aut citra respectum pietatis vel impietatis conjugia hominum ex solo arbitrio suo absoluто sic disponat, ut hanc, quam ducis, & non aliam, tibi ducere simpliciter necessum sit.

49. Sed quod providentiae suæ habenis consilia voluntatesque hominum ita moderetur, ut, cui velit, in compensationem antegressæ pietatis tranquillum & pacatum procuret conjugium: rursus,

sus, alium in pœnam libidinum aut aliorum peccatorum sinat pœnitendis irretiri nnptijs.

50. Quemadmodum è converso nonnunquam bono consilio paternæ castigationis permittit, ut spectatæ pietatis homines in incommidas uxores, probatæ & innoxiae fœminæ in maritos incommodos incident; vicissim impij sæpe uxores nanciscantur laudissimas, veluti Nabal Abigaelem 1. Sam. 25. Pro ut Deus vel sub cruce statuit exercere pios, vel beneficij ad pœnitentiam provocare impios. Rom. 2.

51. Sed neq; in morte hominum cessat Dei providentia: quin potius in numerato habet & velut in libro consignatos dies omnes vitæ singulorum, & terminum præfigit cuiq;, quem transilire nequeat. Psal. 139. & Job. 14.

52. Hoc verò Theologicum pronunciatum Iobi simul ac Davidis eò accipiendum nequaquam est, quasi Deus tale de singulorum morte decretum fecerit, ut quemq; hac, qua moritur, hora, hoc item genere mortis obire simpliciter necesse sit.

53. Quòd enim Job afferit de termino divinitùs præfixo, qui transiri nequeat: id partim ad præscientiam Dei pertinet; cui mors cuiusq; infallibiliter nota est; quandoq; illa & quomodoq; eveniat: partim ad efficacem constitutionem metæ pertinet, eam verò non in absoluto, nullisq; precibus aut rationibus flexibili decreto, sed decreto respiciente causas etiam inferiores & secundas, partim naturales, partim voluntarias, quas tamè Deus pro divino arbitrio suo liberè moderatur.

54. Sic usu venit crebrò, ut qui naturaliter in multam usq; senectam vixturus erat, sua intemperantia filum vitæ suæ abrumpat ipse, concilians sibi crapula, ebrietate, aut libidine, morbos, quibus ille naturæ habitus mutatur, ut multò citius moriatur, quam alijs moriturus erat.

55. Vbi manifestum est, intemperantes illos, cùm præmatura morte pereunt, Deum incusare non posse, quasi ita necesse fuerit evenire, cum hunc terminum illis præfixerit, quem transilire nullà vitæ temperantia potuerint.

56. Imò in pœnam peccatorum hic & non alijs eis terminus constitutus esto, ut quia tales sunt, ob hoc ipsum præterire hanc metam non possint; qui si vixissent temperanter, Deus hoc salubri

medio interveniente terminum eis fixisset alium, hoc est, vitam ad annos plures eis prorogasset.

57. Neque tamen Deus fuisset ideo mutatus, aut in præscientia sua deceptus: siquidem hoc ipsum vidisset, moderatè illos ac temperanter esse victuros, ideoque vitam eorum prolongatum iri.

58. Idem haud obscurè docent promissiones Dei, velut Exod. 10. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram. Et Exod. 23. Servietis Domino Deo vestro, ut benedic panibus tuis, & auferam infirmitatem de medio tui, & numerum dierum tuorum complebo. Quæ promissio prorogandæ vitæ ob sequentibus Deo facta repetitur Deut. 30. psal. 41. Proverb. 3. & 4. Sirac. 3.

59. Cum ergò promissio longævitatis manifesta conditione pietatis & obsequij erga Deum limitata sit; firma consequentia hinc infertur, providentiam Dei vitæ humanæ terminum absoluto quodam decreto, sine consideratione antegressæ pietatis vel impietatis non constituere.

60. Præsertim cum & comminationes demonstrent, impijs ob scelera vitam à Deo decurtari. Iuxta illud Psal. 55. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.

61. Exempla res illustrior evadet. Absolon si honorâset patrem, & obtemperasset monitis ejus: futurus fuisset longævus super terram, juxta promissum quarti præcepti.

62. Iam verò quia Patrem de honestat, in exilium ejicit, persequitur, & regno exutum vitâ insuper spoliare cupit: abrumpitur ei vita, & hic terminus illi præfigitur, ut ab arbore suspensus & lanceis transfixus pereat. Quem terminum (posita iam causa, vide licet impietate in patrem) transilire ex hypothesi mōdō indicata non potuit.

63. Infinita sunt exempla, quæ proposito nostro plenam fidem faciant. Diluvio perit originalis mundus; incendio Sodomitico quinque civitates; Sichemitæ cæduntur ob stupratam Dinam; Her & Onan nepotes Iacobi ex Iuda, propter scelera occiduntur; Beniamitæ ob violatam Levitæ conjugem cadunt in ore gladij: Core, Dathan & Abiran, cum conjurata factione delentur: & quis infinitas clades, humano generi ob scelera, flagitia & peccata cœlitus immisas recensere valeat?

Atque

64. Atque sic sanè in enumeratis exemplis suis cuique à Deo
fixus est terminus violentus, tragicus & funestus; non certè decre-
to simplici, quasi nihilominus ea hora, eoq[ue] genere mortis crude-
li perituri fuerint, si maximè à peccatis illis abstinuissent; Diversū
namque loquitur, imò clamat historia sacra; sed decreto ex hypo-
thesi facto, in pœnam justam improbitatis antegressæ.

65. Ninivitis profectò palam edicit Ionas Dei jussu, nisi resipiscant,
fore ut intra 40 dies pereant. Et hic eis futurus est vitæ ter-
minus, quem, nisi pœnitentiam agant, præterire non poterunt.

66. Sin vero ad meliorem frugem conversi fuerint, non hic tra-
gicus, sed alius optatior & in longiorem ætatem productus cuique
illorum terminus reperietur constitutus. Atque hoc posterius etiā
probavit eventus.

67. Idem respondetur de furibus, latronibus, alijsque malefi-
cis, qui tempore eo, quo naturaliter adhuc valent, strangulantur,
percutiuntur gladio, subiguntur in rotam, aut alijs supplicijs ex-
terminantur.

68. Hinon fatale aliquod decretum Dei de hoc funesto termino
sibi inevitabiliter ita præfixo querimonias moveant; sed justam
Dei pœnam vindicantem scelera hominum agnoscant.

69. A quibus si abstinuissent (quod vel suis relicti viribus pos-
sunt etiam non renati, ut gentilium exempla perhibent) certè non
tristibus his supplicijs extinti fuissent, nec morte sublati præma-
tura: sed longiorem metam & tranquilliores exitus fuissent conse-
cuti.

70. Sic medicorum ope multi (Deo benedictionem largiente
pharmacis) recreantur ex morbis, qui si contempserint illa media,
quæ Deus contemni prohibet; non certè per miraculum fuissent
conservati, sed mortui.

71. Quodq[ue] Deus quodam ad causas inferiores & secundas, sive
naturales, sive voluntarias, respectu & intuitu, hominibus horam
mortis præstituat: indicio est historia navigationis Paulinæ Act. 27.

72. Cum enim de vita periclitarentur, cùm Paulus ipse, tūm
comites ejus (erant autem in navi animæ ducentæ septuaginta sex)
solatur Apostolum angelus Domini verbis hisce: ne timeas Pau-
le: Cæsari oportet te susti. Et ecce, donavit tibi Deus omnes, qui
navigant tecum,

73. Huic promisso Dei tanta fiducia innititur Paulus; ut ad navigationis socios palam dicat: nullius vestrum capillus de capite cadet.

74. Nec tamen vocem illam Angeli ita simpliciter accipiendā autumat, ut quocunq; tandem modo lēse gerant navales, nihilominus salvos & incolumes ad portum per venturos existimet.

75. Hunc enim sensum oraculi refellit ipse, quando nautis denissa in mare scapha fugam ē navi parantibus, clamat ad Centurionem & milites: nisi hi in navi manserint, vos salvi esse non potestis.

76. Quo vel unico exemplo demonstratur potentissimè, horam mortis non esse simpliciter homini absq; secundarum causarum respectu decretam: sed Deum in decernenda illa respicere ut plurimum ad causas secundas, ad media, quin etiam vigore promissorum & comminationum suarum ad hominum vel pietatem, quæ promissiones hujus etiam vitæ habere dicitur 1. Tim. 4, vel impietatem, ob quam Deus præmatura morte excindit non solitarias duntaxat personas, sed integras sæpè gentes & innumerabiles homines.

77. Medijs tamen, quæ diximus, non sic alligata est Domini providentia, quin etiam absq; ijs, quoties & quando vult, posset ē morbis eripere, ac velut ex porta mortis, ut scriptura loquitur, ex altare, & ad vitam ac valetudinem integrum recreare suos, viribus illorum, quæ prostratæ jacebant, supra omnium hominum expectationem mirabiliter resectis ac redintegratis.

78. Quod non tantum ex miraculis illustribus illis & in oculis incurrentibus apparet, quæ sacra historia memorat: sed testantur id etiam hodie piorum ex præsentissima morte liberationes insperatae & admirandæ.

79. Qua in parte plurimum valere preces cū publicas tūm privatas, experientia loquitur, idq; ipsum sacrarum literarum exempla confirmant.

80. Hiskias Rex Iuda, cum ei dictum esset: dispone domui tuæ, quia morieris & non vives: nihilominus precibus suis quindecim annorum additamentum à Deo impetrat. Esa. 38.

81. Et Paulus Apostolus se in Asia de vita jam jam desperasse, & sententiam mortis animo jam concepisse scribit: verū ex tanta morte

morte esse ereptum à Deo, grata mente recenset: in quo, inquit, spem fixam habemus, quod etiam posthac nos erepturus sit, simul adjuvantibus & vobis per deprecationem pro nobis.

82. Idem vult Iacobus cap. 5. scribens de fratre ægrotante, ut (juxta morem primitivæ Ecclesiæ, in qua vigebat adhuc miraculosum donum sanationum.) accersi curet presbyteros, qui orent super illum, ungentes illum oleo in nomine Domini, & obsecratio fidei (inquit Divus Iacobus) salvum reddet laborantem, & eriget eum Dominus. Atq; hæc quidem de Providentia Dei circa hominum mortem disponendam occupata.

83. Nobilissima divinæ providentiæ seu species seu pars est, quæ circa salutem hominum æternam procurandam versatur.

84. Ea est prædestinatio seu ad vitam æternam Electio eorum, qui hæredes erunt salutis 1. Tim. 1. hæredes regni Iacob. 2. quod paratum eis est ab initio mundi Matth. 25. quos ipsos scriptura nominat reliquias salvandorum Esa. 10. reliquias secundum Electiōnem gratiæ Rom. 11. & hac periphrasi designat, quod credituri essent in Christo ad vitam æternam 1. Tim. 1.

85. Hæc non est absoluta nulloq; ordine definita, ut ad omnes promiscuè homines, etiam eos, qui in Christum nunquam credunt aut credituri sunt, æquè atq; ad credentes, referatur.

86. Sed hac τάξη in ipso Dei æterno consilio circumscripta est, ut quicunq; in Christum Iesum, in quo facta Electio est, verè & ad finem usq; credunt, vel (ut periphrasin ab Apostolo usurpatam repetamus) credituri erant (1. Tim. 1.) hos Deus in proposito Electionis ad vitam æternam prædestinet, & in executione propositi actu salvet & glorificet.

87. Quemadmodum scriptum est: quos præscivit, hos & prædestinavit, quos prædestinavit, hoc & vocavit, quos vocavit, hos & justificavit, quos justificavit, hos & GLORIFICAVIT. Roman. 8.

88. Et rursum Iohann. 5. Omne quod dat mihi Pater, VENIET ad me. Et Iohann. 10. Vos non creditis, quia non estis de ovibus meis, quemadmodum dicebam vobis: oves meæ vocem meam AUDIUNT, & ego cognosco eas, & SEQUUNTVR me.

89. In eandem sententiam scribit Lucas Actor. 13. Crediderunt, QVOTQVOT erant ordinati ad vitam æternam.

90. Et Ephes. 1. Elegit nos IN CHRISTO, antequam ja-
cerentur fundamenta mundi.

91. Qui ergo SVNT in Christo Iesu Domino nostro Rom. 8.
hi demum censendi sunt in eorum numero, quos Deus IN Christo
elegisse dicitur.

92. Nam, ut idem Apostolus testatur, elegit nos Deus ab initio
ad salutem in sanctificatione spiritus & in FIDE veritatis.

93. Quapropter & Iohannes ait, 1. Epist. 5. Hoc est testimonium
quod testificatus est Deus de filio suo, quod vitam æternam de-
dit nobis Deus, & hæc vita IN FILIO ejus est. qui HABET
filium, habet vitam: qui non HABET filium Dei, vitam non ha-
bet.

94. Et Iacobus 2. cap. scribit: nonne Deus elegit pauperes hu-
jus mundi, divites IN FIDE, & hæredes regni, quod promisit
Deus his, à quibus dilectus fuerit?

95. Planè ut & Paulus afferit, Deum non multos sapientes se-
cundum carnem, non multos potentes, non multos claro genere
natos, sed quæ stulta erant secundum mundum, elegisse, ut pudefa-
ceret sapientes, & quæ erant imbecilla in mundo, elegisse, ut pude-
faceret ea, quæ sunt robusta, & quæ ignobilia erant in mundo con-
temptaque, delegisse, & ea, quæ non erant, ut ea, quæ sunt, oblite-
raret.

96. Quia enim sapientes ac potentes hujus mundi sapientiam
Dei pro stultitia ducunt 1. Cor. 1. ideo propter hunc contemptum
divinæ sapientiæ (& non propter aliquod Dei decretum de ipsorū
exitio absolute factum) non eliguntur à Deo, sed infatuantur & re-
probantur, & absconditur eis mysterium Evangelicæ prædica-
tionis, ut & Christus Matth. 11. testatur.

97. Quamobrem Electio Dei seu prædestination ad vitam, nequa-
quam pertinet ad bonos simul & malos, sed tantum ad bonos &
ad filios Dei, qui æternam salutem CONSEQUUNTUR, in-
quit Epitome, ut & formula ipsa Concordiæ.

98. Porrò electionis & prædestinationis divinæ fons quidem &
origo est misericors illa Dei voluntas, qua serio desiderat, vult, sicut
& expedit omnium ad unum hominum salutem Ezech. 33.1. Tim. 2.
nec tamen ideo putandum, electionem Dei seu prædestinationem
indiscretè ad omnes homines se porrigeret.

Nam



99. Nam & justificationis & salvationis fons est illa misericors voluntas Dei, qua omnium hominum salutem expetit, nec tamen ideo ad omnes homines pertinet vel justificatio vel salvatio.

100. Nam voluntas illa Dei solitariè posita, & à fidei consideratione ab juncta, non actum ponit vel electionis vel justificationis: sed desiderium duntaxat explicat, id verò serium planè, longeque ardentissimum, quo Deus omnes homines electos justos & salvos esse cupit, si omnes in Christum Mundi Redemptorem credant.

101. Quia verò non omnes credunt, imò nec medijs utuntur, per quæ fidem in eis Spiritus sanctus operatus erat: ideo etiam non omnes eliguntur, justificantur & salvantur: siquidē ut extra Christum fide agnatum nulla salus est, ita nulla quoq; ad salutem prædestinatio, nec justificatio.

102. Sic culpa omnis paucitatis electorum & salvandorum rejicitur non in Deum, sed homines ipsos. Sicut scriptum est: Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filii Dei. Iohann. 3.

103. Et rursum Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos, ut gallina congregat pullos sub alas suas, & NOLVISTI?

104. Et Iudæis contradictibus Paulo & Barnabæ, respondent Apostoli: vobis oportebat primùm annunciarí sermoné Dei: sed quia repellitis illum, & indignos vos judicatis vita æterna, ecce ad gentes convertimur. Act. 13.

105. Cæterum nolo hanc partem divinæ providentiae persequi longius, cum haud ita pridem de ea disputatum sit.

106. Ultimam ergo definitionis institutæ partē ut excutiamus, dispiciendum est, qualem se circa hominum actiones gerat æterna Domini providentia.

107. In actionibus bonis Deus non solum generali sua actione sustentat naturam agentem, & vim agendi confert: sed easdem quoq; probat & præcipit: quin haud raro ad actiones civiliter bonas homines etiam non regeneratos peculiari motu exuscitat: easq; præter intentionem illorum, à quibus eduntur, ad fines gloriofos transfert.

108. Actiones porrò non civiliter duntaxat, sed spiritualiter bonas, hoc est, à fideli persona secundum præscriptum divinæ legis profetas, ita jubet, ac promovet, ut earum causa efficiens non in homini.

hominibus quærenda sit; quemadmodum alias moralium actionum voluntas hominis rectæ rationi obsecundans causa propinqua est.

109. Hic enim valet illud Christi: sine me nihil potestis facere. Ioan. 15. Et paulinum hoc: non sumus idonei ex nobis tanquam ex nobis aliquid cogitare 2. Cor. 3.

110. Deus igitur hic bonarum actionum causa efficiens in solidum est: homo verò se duntaxat ut instrumentum habet.

111. De malis actionibus intricatior est quæstio, num Deus etiā in ijs concurrat, vel earum ociosus spectator fit.

112. Tenendum igitur; primò Deum actiones pravas & vitiosas nec velle, nec probare, multò minus præcipere, minimè omnium autem occulto aliquo decreto ad illas querquā impellere.

113. Quemadmodum scriptum est. Non Deus volens iniquitatem tu es. Psal. 5. Deus enim lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ 1. Ioan. 1. Ideò quæ in mundo sunt, velut concupiscentia carnis, concupiscentia oculorū, & fastus vitæ, non sunt ex Patre 1. Ioh. 2. ut neq; tentat ad malū Deus, Iacobi 1. sed perfectè & ex toto peccatum omne abominatur Zach. 8. prohibet lege Decalogi, & eb id temporales ac sempiternas pœnas denunciat Deut. 27.

114. Quemadmodum auté in omnibus actionibus humanis Deus concurrit generali ratione, sustentando naturam agentem, largiendo motum seu potentiam agendi, atq; adeò principia & organa actionum, mentem, voluntatem, cæterasq; vires animæ ut & corporis membra: sic etiam cum male agit homo, Deus certè sustentat naturam qualis est, & motum largitur: quod ni faceret, ne digitum quidem movere vel homicida, vel fur, vel alius quispiam sceleratus posset.

115. Neq; tamen hinc rectè concluditur, Deum peccati esse causam, quod omnem motum & actum suppeditat.

116. Sicut enim inter naturā ipsam hominis, quæ etiā post lapsum à Deo est, & inter insitum vicium originale, quod à Deo non est, meritò distinguitur: sic in peccatis actualibus inter motum seu actum ipsum, & inter vicium seu deformitatem & ἀταξίαν motus sive actus non minore diligentia discernendum est.

117. Exemplo rem declarabimus. Quod fur manū suam extenderet, eaq; quippiam apprehendere potest, habet hoc à sustentante Deo, qui animæ hominis hanc facultatem regendi movendique membrā largitur.

118. Quod



118. Quod autem fur in eo motu aberrat, suamq; manum ad ob-
jectum illicitum Deiq; lege vetitum extendit : est hæc adhærens
motui & traxiæ, non Deo, sed perversæ voluntati furis adscribenda.

119. Planè ut in claudicatione corporis hæc duo concurrunt.
Primò quidem motus seu localis progressio : dehinc accedens de-
formitas, quod non recto, sed in latus vacillante gressu incedit ho-
mo.

120. Quorum prius, videlicet ipsa progressio atq; motus ab ani-
ma est : claudicationis verò deformitas non ab anima suum ortum
habet, sed ab accidente, nimis à corporis defectu.

121. Sic ergò nō ipse per se motus sive actus à Deo dependens est
peccatum, sed vicium in motu, à corrupto homine proficisciens mo-
tuq; polluens, est id, quod hominē peccati reum constituitū : adeò
ut si in peccato actuali tollas id, quod Dei est, peccatum nusquam
futurum sit : rursum si tollas, quod à perversa voluntate hominis
accedit, videlicet respectum ad rem illicitam : tum actus quatenus
actus & motus, reprehensione caret, imò ut opus Dei suam obtinet
laudem & commendationem.

122. Interim excusationem aut veniam non meretur homo,
quod cum peccat ipse, Deus generali sua actione concurrit.

123. Imò exaggeratur inde peccatum, quod homo, qui sine su-
stentante Deo ne quidem spiritum haurire aut digitulum movere
poterat, istum, quem Deus suppeditat, motum, non ad opificis glo-
riam & proximi utilitatem confert, sed contra Deum benefactorē
suum turpiter abutitur ad malum, à quo illum Dei præsentis &
sustentantis reverentia merito avocare debuit.

124. Quando ergò quæritur, an Deus aliqua voluntate velit
ipsummet peccatum : simpliciter respondetur : NVLLA PRORSVS.

125. Permittit autem Deus peccatum, quod non vult, propter
finem bonum, quem suæ providentiæ gubernatione hinc conse-
tetur.

126. Evidem non negatur, cum hac Dei permissione volunta-
tem ipsius aliquam conjungi, volens enim permittit, & non sim-
pliciter nolens.

127. Interim hæc ad diversa feruntur objecta. Nam permisso
Dei respicit peccatum, voluntas ejus non ipsum per se peccatum,
sed finem peccati, ad quem id, quod sua natura malum est, interventu
bonitatis ac sapientiæ Dei convertitur. C 128. Neg;

128. Neq; sequitur si Deus velit finem , velle ipsum etiam media, hoc est, peccata, è quibus ille finis elicetur,

129. Non enim pariter sese habent ad Dei naturam , peccata, & bonum id, quod elicetur ex peccatis.

130. Cum finis quidem sit bonus, ideoq; naturæ Dei congruus, voluntatiq; ipsius undiquaq; conformis : peccatum vicissim naturæ voluntatiq; Dei sic aduersetur, ut peccatum velle & probare sit destructio naturæ divinæ, quæ cum sit ipsa justicia & sanctitas, non potest velle id , quod justitiae sanctitatiq; repugnat è diametro.

131. Adhæc peccatum non per se, sed plane per accidens boni illius finis medium esse dicitur. Siquidem peccatum sua natura nil nisi malum de se progignit.

132. Falsissimum igitur & cum blasphemia conjunctum, quin sacris literis palam contrarium pronunciatum est, si finem velit Deus, velle illum etiam peccata, quæ ad finem istum bonum diriguntur & revocantur.

133. Cæterum hæc, de qua dictum modò est, permisso non nulla permisso est, sed cum finium determinatione, conjuncta.

134. Non inquam, ea determinatione, qua hominem ad peccatum destinare fingitur impiè : sed qua peccatum à libera hominum voluntate profectum ad fines naturæ suæ congruentes, bonos & salutares, atq; sic ἀταξίαν ad τάξιν revocat.

135. Quin & metis malas hominum actiones circumscribit, & impiorum limites constituit, quo usq; peccandi progreo, ubi & quando nolentes volentes ab instituto illos dejicere velit ac depellere.

136. Atq; hoc est, quod scriptura prædicat & inter opera cœlestis providentiae connumerat, quod videlicet intervertit conatus impiorum, ponit circulum in naribus , & frenum in labijs eorum, consilia malignorum dissipat, ne possit illorum manus implere, quod cœperant. Esa. 37. Iob. 5.

137. Sic Domini providentia tristem & horrendam illam peccatorum ἀταξίαν hac finium determinatione corrigit, & præter intentionem voluntatemq; peccantis hominis ad τάξιν pro infinita sua sapientia revocare consuevit.

138. Sic fratres Josephi peccant enormiter, vendendo fratrem innoxium. Interim Deus hoc ipsorum peccato, ad quod illos nec occulte nec a parte vel destinavit vel impulit, utitur ad optatissimum hunc

hunc producet dñi finem, ut ista occasione Ioseph emergat in re-
gno Aegypti, ipsiusq; salutari opera familia paterna, quæ tum erat
Ecclesia Dei in his terris, hospitium simul & liberalem victum tem-
pore famis in Aegypto habeat.

139. Proinde Ioseph ipse fratres ob commissum scelus anxios
solatur hac commemorabili sententia: vos cogitastis adversus me
malum; Deus autem convertit id in bonum. Gen. 50.

140. Sic Iudæi persequuntur Christum, tradunt crucifigendum
Pilato, non sine providentia consilioq; Dei, ut & scriptura fatetur
Acto. 2, & 4.

141. Et ipsi quidem hunc nefarium finem & scopum unicè præ-
fixum habent, ut hunc Iesum Nazarenum funditus exterminent.

142. Ad quod scelus nequaquam Deus, sed Diabolus, proprij q;
cordis malitia & conceptum animis hostile odium invidiaq; illos
instigarunt.

143. Deus autem secundum præscientiam suam cognoscens,
quid ipsi molituri sint, permittit eis, ut in perficiendo scelerato
proposito libidinem suam expleant.

144. Permittit autem voluntate consilij, hoc est, eo fine consi-
lioq;, ut hoc medio salus totius generis humani procuretur.

145. Qui præclarus finis non à crucifigentibus Iudæis vel specta-
tur vel producitur, sed à providentia Domini, quæ in tam salutares
fines pessima quæq; hominum cogitata, dicta & facta novit mira-
biliter convertere.

146. Atq; hoc est, quod Divus Petrus ait Acto. 2. hunc (Iesum)
definito consilio & præscientia Dei traditum, cum accepissetis per
manus iniquorum, crucifixisti.

147. Vbi præscientiæ vox sceleratum Iudæorum factum respi-
cit: vocabulum autem consilij finem optatum illum spectat, quem
Deus in consilio suo respexit, propter quem permittit eis id, quod
aliás absq; hujus finis intuitu permisurus nunquam erat.

148. Citra quod Dei permisum Iudæi conatum suum perficere
non poterant, dicente Christo ad Pilatum: non haberes potesta-
tem adversus me ullam, nisi tibi datum esset è supernis. Ioan. 19.

149. Hinc toties ante elusa fuit omnis illorum improbitas, ut
quod maximè vellent, Deo frenum eis injiciente, perficere minimè
valerent. Quærebant, inquit Iohannes capite septimo, eum appre-
hendere,

hindere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat ho-
ra ejus.

150. Nec aliud vult locus Actor. 4. Convenerunt verè adversus
sanctum filium tuum Iesum, quem miseris, Herodes simul & Pon-
tius Pilatus cum gentibus & populis Israel, ad faciendū, quæcunq;
manus tua & conilium tuum prius decreverat, ut fierent.

151. Neq; enim dicit Petrus Apostolus, Deum decrevile, ut hæc
FACERENT Herodes, Pontius Pilatus, & Iudei: sed ut ista
FIERENT, hoc scilicet fine, ut redimeretur genus humanum.

152. Proinde hæc verba (ut fierent) non absolute sed limitatè
sumpta, ratione facti Iudeorum impij, permissionem, ratione finis
autem decretam in Dei consilio determinationem explicitant.

153. Vnde liquet, Deum ab omni culpæ suspicione penitus ab-
solvi, & causam omnem sceleratæ actionis in Satanam & hominū
perversam voluntatē conferri: quando non ideo crucifigunt Chri-
stum, quia Deus ita decreverit, & quia consilio divinæ providen-
tiæ sublervire cupiant: sed potius econtrā quia Deus videt coram,
quod ex Satanicō odio Dominum gloriæ crucifixuri sint, ideo jam
decernit, ut hic, de quo dictum est, finis longè optimus & præstan-
tissimus hinc producatur, & hoc salutari consilio ista **FIA NT**.

154. Quod autem Deus passim in sacris literis inducere dicitur,
excæcare, incrassare cor, tradere in mentem reprobam, dare spiri-
tum mendacem in ore pseudoprophatarum, dare spiritum com-
punctionis, oculos ut non videant, aures ut non audiant: decipe-
re, facere, errare, mittere efficaciam illusionis, & similia: nequa-
quam hæc Deo efficacem operationem duricie & cœcitatis cordiū
humanorum, ut nec deceptionis mendacij & seductionis, impin-
gunt.

155. Sed permissionē explicitant, eam verò talēm, sine qua Dia-
b̄olus, cuius hæc sunt opera, in hominibus ea efficere non valeret.

156. Idcirco scriptura ipsa, quod hac loquendi ratione videtur
nunc adscribere Deo, mox alijs in locis disertè interpretatur, Dia-
bolo, ut & voluntati consentienti, adscribens efficientiam istorum
malorum: Deo verò ut justo Iudici permissionem assignans, qui in
pœnam præcedentium peccatorum permittit Diabolo, tanquam
iudiciorum suorum administro & executori, ut talia efficaciter o-
peretur. Hic enim & non Dens, efficax ad malum esse dicitur in fi-
liis incredulitatis & inobedientiae. Eph, 2.

157. Sic

157. Sic Deo non causæ respectus, non ortus, non principium indurationis aut seductionis competit, sed finis, quem ad declarationem justi judicij sui potenter inde producit: nec Deus hæc operatur se ipso, sed sententiam pronunciat, qua tales ob antegressam impietatem relinquuntur Satanæ dominio, qui judicialem sententiam exitij à Deo latam, cupidissimè in reprobis illis Dei contemptoribus exequitur.

158. Sicut ergò Iudex aut Magistratus maleficum morte mulctare dicitur, non quod ipsem gladium in illum stringat, aut in inferendo suppicio manum admoveat: sed quod sententiam mortis in eum dicet & pronunciet, ejusq. executionem efficacem spiculatori committat: sic eodem planè modo in allegatis locis Deo, ut judici sententiam dictanti & executionem demandanti Satanæ, talia tribuuntur.

159. Esse hanc veram & solidam interpretationem φράσεως, perspicuè docet sententiarum & dictorum scripturæ indubitata collatio.

160. Affirmat scriptura Mosaica, dixisse Deum Exodi 4. Ego induabo cor Pharaonis. At Scriptura eadem afferit Exod. 3. Pharaonem ipsum aggravasse cor suum.

161. Job. 1. scribitur Satanas incitasse Sabæos & Chaldæos, ut greges & armenta Jobis abigerent: & concitato vento à regione deserti concussisse & evertisse domum, in qua congregati erant filii filiæq. Jobis, eosq; simul omnes ruina ædium miserabiliter oppressos contrucidasse.

162. At Job in permittentem suaq; gubernatione ad certos fines ista revocantem, Deum respiciens, cum sciret, citra concessionem Dei, nec Satanam, nec Chaldæos, nec Sabæos, quicquam in talibus moliri posse, piè exclamat: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

163. Hæc ipsa verò mala non efficaci Dei actione, sed permissu Dei à Satana esse perfecta, irrefragabilis tenor historiæ demonstrat. Petit enim Satanas à Deo, ut sibi potestatem grassandi in ea, quæ Jobis erant, concedat: & permittit hoc illi Deus, isto fine, ut sub cruce servum suum exerceat, & inconcius pietatis, timoris Dei ac tolerantiae exemplum ad omnem venturam posteritatem in ipso statuat.

164. Ita Simei instinctu Satane maledicit Davidi Regi , contra expressam legē Domini : Principi populi tui non maledices Ex. 22.

165. Quanquam autem David exactè novit, Deo crimen hoc Simei minimè probari : tamen non sine peculiari consilio divinæ providentiae hæc sibi evenire perpendens, ait: Dominus dixit ei , ut malediceret Davidi.

166. Neq; tamen hoc vult David, quòd Dominus scelus hoc vel præceperit Simei, vel eum arcana ratione ad crimen illud læstæ Majestatis perpetrandum adegerit aut impulerit.

167. Sed quemadmodum Simei competit hoc ut peccatum : sic ad Deum refertur, ut pœna peccati : hoc est, convitiatori Simei tribuitur hujus sceleris causa, principium & ortus: Deo non ortus, non principium, sed finis ille bonus , quatenus malo benè utitur ad suū peragendum in Davide opus , nimirum ad humiliandum & castigandum illum ob peccata præcedentia. Quod David humiliter agnoscit , & hæc sibi dicto jam consilio Dei evenire piè recteque interpretatur.

168. De eodem Davide legitur, quod furor Domini commoverit illum, ut numeraret populum. At ne peccati hujus efficientiam in Deum conferri quis existimare posset: Spiritus sanctus alio in loco ad Satanam autorem refert, dicens 1. Paral. 21. Satanam consurrexisse adversus Davidem, eumq; incitas ad numerandum populum.

169. Quæ sententiarum collatio non obscurè monstrat, hic itidem Deo non nisi permissionem tribui finium determinatione limitatam, quatenus Diabolo, qui sine Deo permittente nihil potest, opermisit Regem ad hoc superbite peccatum propellere , ut occasio esset puniendi securitatem ingrati populi.

170. Ad eundem modum , quod Esaiae 64. populus Dei conqueritur ; quare errare nos fecisti à vijs tuis ? indurâsti cor nostrum, n̄ne timeremus te: id Psalmo 81. Dominus permisivè exponit, inquiens : non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et D I M I S I eos secundum desideria cordis eorum, d̄ibunt in adinventionibus suis.

171. Quamprimum enim Deus subtrahit Spiritus sui ductū , & hominem sibi ipsi relinquit, ibi (si maximè nulla prorsus alia Dei operatio accedat) sua natura homo nihil aliud, quam à vijs Domini errare potest.

172. Consi-



172. Consimiliter affirmat de gentibus Apostolus, quod Deus illos tradiderit in mentem reprobam, & cupiditates ignominiosas, ut facerent, quae non conveniebat. Rom. 1.

173. Ne verò quis causam & culpam scelerum, quae patrarunt olim gentiles, opinetur imputari Deo; Paulus explicationem adiicit, quando Deum illos tradidisse ait in immunditiam, per cupiditates CORDIVM SVORVM: manifestè perhibens, cupiditates istas, & hinc enatam immunditiam, non à Deo ipsis immiti, sed illorum corda quodam vitiatae naturæ habitu jam antè scatere impuris illis cupiditatibus, & Dei permisso fieri, ut in pœnam idolomaniae Satanæ in tetriora subinde sclera illos præcipitet, & captivos ducat ad omnem suam voluntatem. 2. Tim. 2.

174. Tantò autem evidentius absolvitur à culpa impietatis gentilium Dominus, quod idem Apostolus, sui quam optimus interpres, Eph. 4. scribit, gentiles SEMETIPSOS tradidisse lasciviae ad patrandum immunditiam omnem cum aviditate.

175. Si semetipsos dediderunt immunditiae: ergò non Deus illos sua quadam efficaci actione in immunditiam hanc præcipites egit.

176. Idcirco Paulus phrasin suam Rom. 1. usurpatam, de permissione ipsem exponit Actor. 14. dicens: Deum præteritis aëtibus SIVISSE omnes gentes ingredi vijs suis.

177. Sic precamur in oratione Dominica: ne nos inducas in tentationem. Quae verba deprecantia temptationem non bonam illum, quae probationis est, Psal. 26. & 139. sed temptationem ad malum, quae deceptionis ac seductionis esse dicitur, ne Deo ἐνέργεαται malii assuere videantur, quasi homines in temptationem illam inducat ipse; scriptura alibi hanc Calvinisticam expositionem dilucide refellit.

178. Nam Iacobi 1. legitur: ne quis cum tentatur, dicat se à Deo tentari. Nam Deus ut malis tentari non potest, ita nec ipse quemquam tentat.

179. Sicut autem à Deo amolitur Iacobus malignæ hujus temptationis causam: ita vicissim eam in propriam hominū concupiscentiam rejicit: unusquisque tentatur, inquiens, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur.

180. In

180. In hac concupiscentia dominatur Satanás, ut eandem in natura latentem pravis immisis cogitationibus; aut objectis peccandi occasionibus moveat, exusciter, inflammet, & Deo manum subducente, & Spiritus sui ductum subtrahente, ceu ruptis repagulis, in peccata exteriora faciat erumpere.

181. Itaq; Diabolo temptationis hujusce principatus & efficientia in sacris literis assignatur: unde & tentatoris nomen adeptus est Matth. 4, & 1, Thesl. 2. eò quòd tentet & seducat totum orbem terrarum Apocal. 12.

182. Deo autem permisso, cum constitutione metæ & finium determinatione vendicatur 1. Corint. 10. Fidelis est Deus, qui non S I N E T vos tentari supra vires.

183. Eadem collatio scripturarum subministrat expeditum respondsum ad locum Ezechielis 14. Propheta cum erraverit & locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi illum.

184. Hoc non ἐνεργήτικῶς, sed explicato hactenus modo permisive accipiendum esse, & non mendacij aut seductionis operationē, sed ejusdem ad justos fines destinationem, adeoq; non peccatum ipsum, sed pœnam peccati adscribi Deo, & quidem non ut executori, sed ut Iudici sententiam distantī & executionem permittenti Diabolo: historia Ahabi 1. Reg. 23, capite descripta locupletissime testatur.

185. Vbi Propheta Michæas, locutione à phrasí Ezechielis non absimili usus, ad Ahabum inquit: dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum.

186. Hoc quomodo intelligendum fit, recitata illic visio cœlestis edocet, in qua Dominus dixisse memoratur: Quis decipiet Ahabum Regem Israël, ut ascendat & cadat in prælio contra Syros? cui spiritus immundus responderit: Ego decipiam illum. Quomodo verò? Egregiar, inquit, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Subjecisse ergò Dominum: Decipies & prævalabis, egredere & fac ita.

187. Quis hic non ultrò videat, quid in deceptione prophetarū & Regis adscribatur Deo, quid spiritui immundo seu Diabolo?

188. Deo hoc attribuitur, quòd ut justus judex sententiam pronunciet, quòd Rex Ahabus ob tetram idolomaniam, crudelitatem aliaq; scelera, cadere debeat in prælio Syriaco.

189. Ad

189. Ad hujus sententiae executionem, deceptione Regis erat opus, ut sibi victoriam promittens sub hac falsa spe in prælium egredetur.

190. Iam quia Dominus se ipso neminem decipit, ideo Satanus ad executionem laetæ in Regem sententiæ suam operam liberaliter offert, spondens, se velle illum decipere. Dominus igitur hoc ei dicetam ob causam permisit, atquesic non Deus sed Satanas est qui mendacijs dementat prophetas Ahab. Quemadmodum ait: EGO decipiām illum. Item: Ego ero viritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.

191. Hæc meridiano Sole sunt clariora, & loca pariter omnia illustrant, quæ obiter duntaxat inspecta, nec satis expensa Deo in malis actionem quandam impingre videntur efficacem: quam vero non Deo, sed Diabolo compeere, Deo autem permissionem, licet non nudam, sed metas præfigentem, & malis ad bonos fines producendos laudabiliter utentem congruere, instituta scripturarum collatio irrefutabiliter ostendit.

192. Quod autem obvertunt Calviniani, Spiritum sanctum in talibus scripturæ locis usurpare verba conjugationū Piel & Hiphil, quæ in tensorem actionem, & motum à persona tertia dependenter significant: nihil hoc objecto contra manifestam veritatem proficiunt. cum exempla regulam illam exceptione non carere liquidò convincant.

193. Exodi scriptum extat, obsterices Ægyptias vivificasse pueros Hebræorum, ubi usurpatum verbum יְלִבּוּ & vivificarunt: non certè quod viam eis efficaciter contulerint, hoc enim Dei est, sed quod illos vivere permiserint nec occiderint, ut quidem Pharaō præceperat.

194. Deut. 20. legitur: de civitatibus istorum popolorum, quos Dominus Deus tuus dat tibi in hereditatem, תְּחִיתָ לֹא non vivificabis omnem animam.

195. Hic verbum conjugationis Hiphil necessariò sic exponitur: non PERMITTES vivere, aut non SINES vivere omnem animam. Quis enim Israëlitis vivificationem devictorū hostium activam illam acceptam ferri putet, quam constat esse solius omnipotentis Dei opus?

D

196. Exem-

196. Exemplum idem occurrit etiam Iosuæ 2. & 6. de Rahab & familia ejus paterna, quam vivificasse dicuntur Israëlitæ, id est permisso vivere. Planè ut & Iud. 21, ex Benjamitica clade viris dedisse uxores de filiabus Iabes Gilead, quas vivificaverant, hoc est, quas non occiderant, sed vivere permiserant.

197. Sicut ergo in allatis lodi obstetrices Ægyptiæ, Iosuæ, & Seniores Israel vivificare dicuntur, quando non occidunt, sed vivere sinunt: sic Deus indurare dicitur, quando non emollit, sed indurari sinit à Satana: dicitur excæcare, cum non illuminat, sed ante cæcos amplius excæcari sinatur per Satanam, in poenam antegressæ impietatis.

198. Sic quoque cum scribitur efficaciam illusionis mittere Dominus 2. Thess. 2. non causa peccati & errorum constituitur, sed ut justus judex introducit, prius ingratitude mundi ablatione doctrinæ suæ, & immissione errorum. Quemadmodum finis iste sequentibus ibi verbis exprimitur: ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed approbaverunt in justitiam.

199. Deus igitur ad vindicandum Evangelij contemptum substrahit verbum suum: quo subtracto, plenum dominium acquirit error & falsitas.

200. Permittit insuper Antichristo & Diabolo, ut falsa dogmata spargant, quibus efficaciter illudatur mundo, & iusti Dei iudicio pereant, qui dilectam ante veritatem recipere noverunt, ut salvificerent.

201. Interim operatio harum illusionum in eodem hoc tractatu Paulino, non Deo transscribitur, sed ad Diabolum refertur, & administrum ejus Antichristum Romanum, dente Apostolo: cuius est adventus secundum OPERATIONEM SATANÆ cum omni virtute, & signis & prodigijs menacibus.

202. Sed neque ex dicto Exod. 9. siam evincunt blasphemam sententiam Calviniani, quando Pharoni denunciari curat Dominus: in hoc excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, & annuncietur nomen meum in universa terra.

203. Neque enim hic de causa vel origine obstinatae malitia Pharaonis agitur, sed de ejusdem FINE, ad quem Deo sicut ordinate, per vicacia Pharaonis decurrit.

Quando



204. Quandoquidem non dicit Dominus: Ego constitui vel excitavi te, ut essem mihi rebellis & contrarius: sed quia tu propria perversitate, instinctu Satanae, mihi contumaciter obluctaris: idcirco hauc tuam obstinatam malitiam, ego in hunc gloriosum finem convertam, ut quod tu mihi resistis impensius, eò plures Aegyptiaco regno immittantur plagæ, eò plura designentur miracula, quibus mei nominis majestas inclarebeat, tandemq; occasione stupendi exitij cui fama gloriæ meæ percelebretur in omni terra.

205. Idem respondeatur ad locum Proverb. 16. Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum.

206. Nam & hic non docetur hujusmodi aliqua Dei operatio, qua vel impium condat, qua impius est, quem non ratione impietatis sed substantiæ pro suo opere agnoscit: vel qua hominem impium ad impietatem prædestinet, sed ordinatio notatur ejus finis, ad quem Dominus malitiosam illam perversitatem hominis accommodat: justo suo iudicio destinans illum ad diem malum, id est, ad diem pœnæ, atque sic justiciæ laudē sibi parans ex ejus interitu, qui ad omnes admonitiones animū in malo prius obfirmaverat.

207. Idcirco neque similitudo de sigulo & luto Rom. 9, huc tendit, ut doceat, Deum efficaci actione parare vasa iræ: cum homo sit Dei segmentum, non quā vas iræ est, sed quā homo est.

208. Quamobrem de vasis gloriae quidem Paulus illic enunciat, ea præparari à Deo: de vasis iræ autem simpliciter affirmat, quod ad interitum apparata sint: non autem adiicit, à Deo illa præparata esse ad interitum: qui vasa iræ non facit sed invenit: naturâ quippe sumus filii iræ Eph. 2. atque sic etiam vasa iræ, quemadmodum extra Dei gratiam in nobis ipsis consideramur.

209. Cumq; Deus non irascatur, sed delectetur operibus suis, quæ ipse me efficit, & verò indignetur vasis iræ, quæ ob id I R A E vasa nominantur: immota consequentia infertur, reprobos ad irā non à Deo formari, sed à Diabolo.

210. Alijs neque hoc constare posset, quod Deum multa cum animi lenitate TOLERASSE vasa iræ pronunciat.

211. Etenim tolerantia non est eorum, quæ quis sciens volensq; facit ipse, sed quæ voluntati tolerantis inimica sunt & adversa: tolerantur autem nihilominus alterius alicujus boni gratia, quod inde produci eliciq; potest.

D 2 212. Quare

212. Quare contra mentem Apostoli similitudo hæc eò torqueatur, ut quemadmodum figulus vasa singit ad dedecus: sic & Deus ad iram & ignominiam quosdam condat, ut sceleratè quidā hoc cordis sui portentum Apostolo affricare solent.

213. Quin hoc solum indicare vult Apostolus, quod cum figuris lutis potestatem habeat, formandi ex illo vas aliud in honorem, aliud in ignominiam, cum quidem lutum, arbitrio carens, factori suo non repugnet: multò minus Deum accusari posse injusticiæ, si Pharaonem, opus suum, sed præfractum & opifici contumaciter se opponens, ad iram & ignominiam à Satana magis magisque parari finat.

214. Objicitur etiam id, quod de filijs Eli habet historia sacra: non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere illos. 1. Sam. 2.

215. Sententia verò simplicissima est hæc, quia filij Eli flagitijs suis, avaritia, profanatione sacerorum, quin & impudica consuetudine mulierum excubantium ad ostium tabernaculi, mensuram impietatis jam impleverant, ideo quamvis monentur à patre suo, tamen Deus suam illis gratiam subducit, ut non obsecundent patris sui monitis, quia statuerat Dominus illos ob antegressam horribilem illam impietatem ipsorum occidere.

216. Itaque particula, Quia, non absolutum aliquod decretum de ipsorum exitio factum, causam constituit inobedientiæ illorum, sed ad justam desertionem Dei, ut pœnam præeuentum scelerum & flagitorum declarandam quasi digitum intendit.

217. Simili propè ratione respondetur ad dictum Ioan. 12. cum tam multa signa fecisset Iesus coram eis, non credebant in eum, ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excœcavit oculos eorum, &c.

218. Non enim quia Prophetæ Esaiæ hæc prædixit, ideo Iudæi tamen fuerunt obstinate increduli, sed potius è converso quia suapte culpa futuri erant in Messiam impij & increduli, ideo Prophetæ Hoc, præmonstrante Spiritu Dei, prædixit. Qui si credituri fuissent in Christum, hoc ipsum vidisset Spiritus ille Domini, qui per Esaiam vaticinatus est, & proinde talen prædictionem edere nihil fuisset opus.

219. Vnde:

219. Vnde liquet, particulas, VT, QVI A, hic non causa in-
credulitatis Iudæorum conferre in vaticinum Prophetæ: sed ex-
primere rei olim prædictæ complementum seu eventum, hoc nimi-
rum sensu: non crediderunt Iudæi, planè sicut Esaias olim ex Spi-
ritu sancto prædixit: Et non poterant credere, quia secundum al-
teram ipsius prædictionem sunt excæcati: quæ excæatio ob præ-
untem contemptum Evangelij eis immissa, nunc vera causa est
prodigijs illius stuporis, quod omnis in illorum conversione lu-
ditur & frustratur opera.

220. Tām igitur Esiae prædictio non imponit necessitatē Iu-
dæis repudiandi per incredulitatem Messiam, quām nec prædictio
de Iuda necessitatem ei attulit prodendi Dominum. De quo Petrus
ait: Oportuit impleri scripturam de Iuda. Actor. 1.

221. Non negatur hanc scripturæ sacræ prædictionem nec falli
nec fallere, cum à Spiritu veritatis sit prodita. Nec tamen quia Spi-
ritus sanctus vaticinatur, Iudam proditum Dominum, idèò Ise-
lus hoc committit: sed econtra, quia liberè, nullo fatali impulsu
adactus, omnino proditurus erat, idèò Spiritus sanctus hoc prævi-
det & prædicit.

222. Nec est, ut quis objiciat, si non tradidisset Dominum, tum
Spiritus sancti prædicationem futuram fuisse fallacem & irritam.

223. Si enim non tradidisset Magistrum suum, hoc ipsum in-
fallibiliter vidisset Spiritus sanctus, ideoq; vaticinum hoc nunquā
edidisset.

224. Objicitur & hoc ex 14. capite libri Sapientiæ: Tua, Do-
mine, providentia ab initio cuncta gubernat. Si cuncta: Ergo &
mala: & proinde causa malorum in Dei providentiā est referenda.

225. Sed multò plus infertur, quām genuinus sensus dicti alle-
gati permittat. Non negatur, universa gubernari à Deo, etiam ho-
minum peccata. Sed quomodo? Non quod velit, operetur aut ju-
vet ea Dominus, aut homines ad peccandum inciter, absit: sed
quod peccata hominum ratione τάξις ordinet, & contra naturam
illorum ad laudatos fines ea referat.

226. Atq; hæc est illa gubernatio & quasi κόσμος universi, quod
Deus gubernatione providentiæ suæ in media confusione ordinem
invenit, malum bono limitans, & ἀταξίαν ad τάξιν, ut & suprà dictū
& explicatū est, admirabili sua sapientia reducens.

D 3.

227. Quod

227. Quod autem Sacramentarij locum Apostoli Eph. 1. ēius
vī fūnt universa, etiam ad mala seu peccata nefariē detorquent,
yim faciunt verbis Apostoli manifestam.

228. Loquitur aperte Paulus de opere salvationis, quod in pro-
curanda nostra salute Deus omnia operetur ad laudem gloriæ suæ.
Hic est unicus scopus ejus loci.

229. Et usq; adeò mentem Apostoli non subiit differere ibi de
operatione vel peccati vel damnationis, ut ne uno quidem verbu-
lo in toto eo capite meminerit, vel reproborum, vel damnationis,
vel etiam causæ peccati: sed tantum salvifici operis, nostræ in Chri-
sto electionis, redemptionis, adoptionis in filios, sanctificationis &c
eternæ salvationis.

230. Non minus luculentam injuriam faciunt eidem Apostolo,
qui verba illius 1. Cor. 11, idem est Deus efficiens omnia in omnibus,
simili flagitio ad peccati operationem extendunt, eamq; Deo im-
pingunt.

231. Agitur eo loco de distinctis donis, & operationibus Spi-
ritus sancti in fidelibus, hunc in modum: divisiones donorum sunt,
sed idem spiritus: & divisiones ministeriorum sunt, & idem Do-
minus; & divisiones operationum sunt, sed idem est Deus, effici-
ens omnia in omnibus. Unicuiq; verò datur manifestatio spiritus ad
id, quod expedit. Nam uni quidem datur per spiritum sermo sapi-
entiae, alij verò sermo scientiae &c.

232. Quoniam ergo non nisi de bonis & sanctis Dei donis, moti-
bus & operationibus hic agitur, quas per Spiritum sūm cīc Do-
minus in electis & fidelibus: quæ tandem nequitia est, velle Apo-
stoli verba in sententiam detorquere non modò à præsente traſatti-
one peregrinam, sed planè contrariam.

233. Manet igitur immotum, in Dei providentiam non esse cau-
sam aut culpam ullam malorum seu peccatorum conferendam: sed
permissionem, cum hac, quam diximus, ordinatione finium con-
junctam, ei assignari, qua peccatum, quod NVLLA PRORSVS
VOLVNTATE vult, permittit tideo fieri, quod sapienter id
ad varios fines referre & accommodare novit.

Thesi 43. pro verbis: accipiendū est, lege: intelligit. Thesi 44. lege: mul-
tis homines pasturus, Thesi 121. motumq; ibid. constituit. Thesi 135.
peccando progredi. Thesi 150. pro, miseris, lege: unxeras. Thesi 154
līo 5. facere errare.





Thes de anima statu post mortem.

Thes de Ecclesia triumphantib.

De sanctis religio et inservit eius cultus catervis et spectantibus.
Item: Theol: de sacramentis in gre.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis ac non insitis et disciplinâ expositis, D. Hofmanni.

Thes: de justificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUGII.

~~Thes:~~ Prop: de justificatione gta facianos f. FERINARI.

Assert: Theol: De justificatione hominis coram Deo, Polyc: LYSERI.

Prop: repetentes summa trae de justitia fidei & boni opib, M. Fleischer, M. Bergii

De Ecclesia triumphantib in caelis disputationes 2, quae una de sanctis in vita altera
in beatitudine agit M. Volekneri, altera de sanctis cultu agit M. Gameri.

Disp: de Providentia dei Wolfi.

Disp: 1. de Turca ex c. 38 & 39 Ezech: in quâ explicant ist. 3.

1. qd sit gog Magog, Vital, Muscovia 2. qd p. rei vocab: Turca significant
3. qd Turca sunt flagella quo Dei castigat ecclesiam. D. Salomon GESNERI.

Disp: altera de Turca, qd c. 38 & 39 Ezech: tota in refutando dicitur cap: p. p. qd GESNERI.

Disp: 2. de Turca, in qua tractat 1. de tempore ultima iussionis Turcarum in ecclesiam. 2. de populo ad
locum ubi ista essent. 3. Quas ob causas Turca Christianis iniungit. 4. Causa ratione fit repri-
menda. 5. Quo pacto vel qd armis tandem Mahometistarum fidei sint delendi, qd GESNERI.

Propos: de Ecclesia HURNII.

Thes: de Predestinatione D. FREDERI.

Thes: de reali communione idiomatum acu psonâ tri, M. Berndes.

Thes: de Baptismo capite papie D. RUGII.

Thes: de Sacramentis in gre GESNERI.

Item: Theologia de cruci corporis Christi in cena maledictione & dictib sacrificiis D. GESNERI.

Item: Theol: de communione idiomata reali testu gru, D. GESNERI



Farbkarte #13

Centimetres	8	7	6	5	4	3	2	1
Inches	3.17	2.76	2.36	1.96	1.57	1.18	0.79	0.40
Blue								
Cyan								
Green								
Yellow								
Red								
Magenta								
White								
3/Color								
Black								

B.I.G.

DE PROVIDENTIA DEI DISPV TATIO,

*Cujus subjectas Theses
DEO CLEMENTER
ANNVENTE,*

PRÆSIDE ÆGIDIO
HVNNIO, S. THEOLOGIÆ
*Doctore & Professore, die 4. Julij, horis
matutinis, in Auditorio Theolo-
gorum, defendet*

M. PAULLUS WOLFIUS, EC-
CLESIÆ VVITEBERGENSIS DIACO-
nus, designatus Ecclesiæ Belticensis Pa-
stor & Superintendens.



VVITTEBERGAE,
*Typis M. Georgij Mulleri.
clo. I. xc.*

35